UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Corpus Juris Canonici

Gregor <XIII., Papst>

M. DC. LXI. Coloniae Munatianae, 1661

De Clerico Venatore. Titvlvs XXIV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-62953

Visual Library

ſtificis: unum elegiſtis ex vobis per ſortem, qui tres auctoritate veſtra elegit, per quos vice omnium Lucan. provideretur eccleſiæ de paſtore: quorum duo tertium magiſtrum R. ſcilicet elegerunt: quod expreſsè licebat eiſdem, ſecundùm traditam à vobis omnibus poteſtatem. Procuratoribus igitur veſtris ſuper his, in noſtra præſentia conſtitutis, nos tali examinato proceſſu, licet nota non careat, quinimò multa reprehenſione ſit dignum, quòd ſors in talibus intervenit: [1 & infrà.] Electionem celebratam de ipſo ad gratiam confirmationis admittimus, ſortis uſum in electionibus perpetua prohibitione damnantes.

[1 Propter prærogativam, cùm nos & literatura magiſtri R. gauderet, in quem tota veſtra eccleſia veſtra præficiendum Epiſcopum concurrerunt, & affectione, quam ad eandem habemus eccleſiam.]

DE COLLVSIONE DETEGENDA.

TITVLVS XXII.

CAP. I.

Accuſatore deſiſtente ab accuſatione, poteſt judex ex officio ſuo inquirere ſuper crimine illato.

Gregorius *a univerſis Epiſcopis de Corin.*

SCripta fraternitatis veſtræ relegentes, agnovimus, quòd hi, qui contra Hadrianum Epiſcopum aliqua dixerant, modo cum eodem in amicitiam convenissent: [1 & infrà.] Quia verò nunciati facinoris qualitas nos vehementer impellit, ut ea quæ audivimus, diſſimulare nullatenus debeamus, præſertim cùm accuſatores & accuſatum inter ſe feciſſe gratiam indicaveritis: hoc neceſſe eſt ſubtilius perſcrutari, ne fortè non ex charitate, ſed ex præmio eorum ſit concordia comparata.

[1 Et magna nobis ad præſens facta eſt de eorum unitate lætitia: ſed quoniam ea quæ dicta ſunt, indiſcuſſa manere non patitur, ſidus noſtra Diaconum ad ea inveſtiganda dirigimus.]

CAP. II.

Deſiſtente accuſatore & accuſato judex proſequitur.

Idem.

CRimina *b* ſemel audita Gregorius indiſcuſſa nullo modo præteribat, etiam ſi accuſatus cum accuſatore in gratiam rediiſſet.

CAP. III.

Colludens in cauſa beneficiali, privari debet beneficio.

Alexander III. *Norvicen. Epiſcopo.*

AVdivimus *c* uſque adeò clericorum malitiam excreviſſe, ut interdum inter ſe colluſione facta ſuper beneficiis, quæ poſſident, ſe ſuſtineant ab aliis moleſtari, & poſtea, ut quæſtioni cedatur, & iidem clerici beneficia quietè poſſideant, quaſi nomine tranſactionis ſolvunt aliis de ipſis beneficiis annuam penſionem, ut poſt mortem eorum in beneficiis illis, ſuper quibus eſt colluſio facta, jus ſibi valeant vindicare. Vnde tibi mandamus, quatenus ſi quos clericos tuæ jurisdictionis per colluſionem hujuſmodi fraudem legitimè tibi conſtiterit commiſiſſe, eos beneficiis, ſuper quibus colluſum fuerit, non differas perpetuò ſpoliare: quia ſatis eſſet indignum, ſi fraus & dolus, quæ in præjudicium tui juris, & aliorum nituntur committere, in eorum non redundarent incommodum & jacturam.

CAP. IV.

Abſolutio de criminibus illatis per colluſionem facta, non impedit facultatem iterum accuſandi & inquirendi de illis criminibus.

Gregorius IX. *Baren.* a *Archiepiſcopo, & fratri Ioſeph monacho Floren.*

IN tantum clamor, qui aſcendit contra Acherontinum *b* Archiepiſcopum, invaleſcit, quòd diſſimulare ipſum ulterius ſine ſcandalo non valemus, nec ſine periculo tolerare: & infrà. Licet autem ſedes Apoſt. frequentibus clamoribus excitata, inquiſitionem quorundam exceſſuum ſuorum duxerit committendam, propter tergiverſationes tamen ipſius (ut dicitur) eodem cum inquiſitoribus & examinatoribus colludente, necnon corruptis teſtibus & inquiſitoribus, ac examinatoribus ſupradictis, non ſolùm prædicti exceſſus remanſerunt hactenus incorrepti, verumetiam pejora prioribus committere non expavit: & infrà. Diſcr. veſtræ mandamus, quatenus ſi de hujuſmodi colluſione ac corruptione conſtiterit: ex integro ſuper præmiſſis & aliis, alioquin ſuper novis duntaxat inquiratis, quæ videritis inquirenda.

DE DELICTIS PVERORVM.

TITVLVS XXIII.

CAP. I.

Impuberes præter vitium carnis delinquere poſſunt, puniuntur tamen mitius, quàm adulti.

Gregorius. *c*

PVeris grandiuſculis peccatum nolunt attribuere quidam, niſi ab annis 14. cùm pubeſcere cœperint. Quod meritò crederemus, ſi nulla eſſent peccata, niſi quæ membris genitalibus admittuntur. Quis verò audeat affirmare furta, mendacia, & perjuria, non eſſe peccata? At his plena eſt puerilis ætas: quamvis in eis non ita ut in majoribus punienda videantur.

CAP. II.

Puer non debet ita ſeverè puniri ſicut major, nec pater ex delicto filii impuberis tenetur.

Alexander III. *Hermon. Epiſcopo.*

REferente nobis *d* H. intelleximus, quòd cùm N. filius ejus decennis cum aliis pueris ſagittaret, quidam nepos ejusdem H. ſagitta percuſſus, interiit: quod idem filius ejus cùm inter alios luderet, fortuito caſu dicitur peregiſſe: propter quod Abbas ſancti Remigii à præfato H. ſecundùm conſuetudinem illius terræ, c. ſolidos inſtantius requirebat: [1 & ſ.] Vnde quoniam *e* in pueris relinqui ſolet inultum, quod in aliis profectioris ætatis humanæ leges dicunt ſeverius corrigendum: mandamus, quatenus ſi conſtiterit filium prædicti H. intra 14. ætatis ſuæ annum eundem exceſſum commiſiſſe, memoratum Abbatem moneas & compellas, ut ab eodem H. prædictos c. ſolidos propter illam *f* conſuetudinem non exigat, nec ab ipſo pro temporali pœna requirat.

[1 Ad noſtram audientiam appellavit.]

DE CLERICO VENATORE. *g*

TITVLVS XXIV.

CAP. I.

Clerico prohibetur venatio, & contra facienti pœna imponitur. h.d. cum ſequen.

a Greg. l. 2. Regiſtri. Ind. 11. epiſt. 38. c. 77. apud Io. Diac. l. 4. c. 32. de vita Greg. refertur conc. Lat. ſub Alex. III. p. 48. c. 2. & c. 1. eo. ti. in 1. com. b C. 2. eod. tit. in 1. comp. c C. 3. eod. tit. in 1. comp. & poſt conc. Lat. ſub Alex. III. p. 28. c. 12.

a *Bararen.* b *Achorontin. al. Acherontin.* c *In pleriſq; vulgatis, Greg. nonus in manuſc. ut plurimum, ut eſt impreſſum. in veteri comp. c. 1. eod. tit. Auguſtino tribuitur: verùm unde ſit ſcriptum, nondum eſt inventum.* d *C. 2. eod. tit. in 1. comp.* e *al. Verùm quoniam.* f *ullam.* g *Vide conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 12. §. veſtitu inſuper. & Bernard. Diaz. in pract. crimin. can. cap. 26.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ex Concilio Aurelianen.

EPiſcopum *a*, Presbyterum aut Diaconum, canes aut accipitres, aut hujuſmodi ad venandum habere non licet. Quòd ſi quis talium perſonarum in hac voluptate ſæpius detentus fuerit, ſi Epiſcopus eſt, tribus menſibus à communione: ſi Presbyter, duobus: ſi Diaconus ab omni officio ſuſpendatur.

CAP. II.

Summatum eſt ſuper capitulo proximo.

Ex eodem.

OMnibus ſervis Dei, venationes & ſylvaticas vagationes cum canibus, & accipitres aut falcones habere interdicimus.

DE CLERICO PERCUSSORE.

TITULUS XXV.

CAP. I.

Clericus ſæpè alium percutiens, & monitus non deſiſtens, deponendus eſt.

Ex Concilio Agathen. *b*

SI quis aliquo gradu [ſacro] percuſſor extiterit, corripiatur à crimine: & ſi non emendaverit, deponatur.

CAP. II.

Duobus menſibus à miſſarum adminiſtratione ſuſpenditur Epiſcopus, qui crudeliter aliquem fuſtigari facit.

Gregorius *Tarentino Epiſcopo.*

PRæterea quoniam mulierem propter delictum ſuum contra ordinem ſacerdotii cædi crudeliter fuſtibus deputaſti. Quam licet exinde (cùm poſt octo menſes deceſſerit) minimè arbitramur fuiſſe defunctam: Tamen quia ad ordinem tuum noluiſti habere reſpectum, duobus te menſibus ab adminiſtratione miſſarum ſtatuimus abſtinere.

CAP. III.

Non punitur clericus ut homicida, ſi fuit ipſe in conflictu pro parte violentiam repellentium, licet ibi aliqui mortui ſint, & ipſe lapides projecit, ex quo nullum ipſe percuſſit.

Alexander III. *Lucen. Epiſcopo.*

PRæſentium *c* lator, in quodam conflictu aſſerit ſe fuiſſe, pro parte tamen illorum, qui violentiam repellant: in quo lapides ipſe projecit, ſed aliquem non percuſſit. Quem nos (quia per alios illic aliqui dicuntur occiſi) à celebratione miſſarum per biennium præcipimus abſtinere. Mandamus itaque, ut ſi alia non impedierint, decurſo hujuſmodi temporis ſpacio, ad ſui officii executionem eum admittas.

CAP. IV.

Clericus, qui fuit in conflictu, ubi aliqui fuerunt occiſi, ſine ejus facto vel conſilio, de jure communi promoveri poteſt. h.d. ſecundum intellectum, qui plus placet Panorm.

Celeſtinus III.

COntinentia *d* literarum: [1 & ſ.] Cùm P. acolythus cum quibuſdam ad reſiſtendum prædonibus arma ſumpſiſſet, in conflictu illo tres fuerunt ab aliis vulnerati ad mortem, ita tamen, quòd illa homicidia neque facto ejus neque conſilio perpetrata fuerunt: & infrà. Conſul. t. t. r. quòd cùm prædictum acolythum ad frugem melioris vitæ tranſiviſſe dicatis, poterit ipſe ad ſubdiaconatus ordinem promoveri, & altaris miniſterium exercere.

[1 *Veſtrarum inſpecta, qua ſignificaſti nobis quod.*]

a *C.1.eod.tit.in 1.comp.* b *addi poteſt ca.3.ut refert Burc. l.2.Decr.c.190.& Ivo p.6.c.235. ſed in eo concilio nondum repertum eſt.* c *C.3.eod.tit.in 1.comp.& poſt conc.Lat.p.26.c.11.* d *C.1. De cler.perc.in 2.comp.*

DE MALEDICTIS. *a*

TITULUS XXVI.

CAP. I.

Maledicens Papæ puniendus eſt, ut alii deinceps [illegible] *& ipſe arceatur.*

Clemens III.

INnotuit *b* nobis: & infrà. Quia nobis [illegible] retuliſti, quòd cùm I. clericus multis coram [illegible] bus verba quædam in depreſſionem offici [illegible] cii noſtri protulit, ipſum à temeritate ſua compeſcas [illegible] pœna illius aliis terrorem incutiat, ne de cætero contra Rom. eccl. in talia verba prorumpant.

CAP. II.

Hic ponitur pœna blaſphemantis Deum, vel aliquem ſanctorum & maximè virginem glorioſiſſimam.

Gregorius IX.

STatuimus *c*, ut ſi quis contra Deum vel aliquem ſanctorum ſuorum, & maximè beatam virginem, linguam in blaſphemiam publicè relaxare præſumpſerit, per Epiſcopum ſuum pœnæ ſubdatur infenius [illegible] videlicet, quòd in ſeptem diebus dominicis pro foribus eccleſiæ in manifeſto (dum aguntur miſſarum ſolemnia) blaſphemus exiſtens, ultimo illorum die dominico pallium & calceamenta non habeat, ligatus corrigia circa collum, ſeptemque *d* præcedentibus feriis ſextis in pane & aqua jejunet, eccleſiam nullatenus ingreſſurus. Quolibet quoque prædictorum dierum tres [illegible] alioquin duos reficiat pauperes, ſive unum. Et ſi non ad hoc ejus ſuppetant facultates, id in pœnam aliam commutetur, cui etiam ſi renuerit recipere ac peragere pœnitentiam ſupradictam, eccleſiæ interdicatur ingreſſus, & in obitu eccleſiaſtica careat ſepultura. Per temporalem præterea poteſtatem coactione (ſi neceſſe fuerit) Epiſcopi dioec. adhibita contra eum, blaſphemus ſi dives [illegible] quadraginta ſolidorum, alioquin triginta, ſive [illegible] ti: & ſi ad id non ſufficiat, quinque ſolidorum [illegible] monetæ pœna mulctetur, nullam in hoc miſericordiam habiturus, quod etiam inter alia communitatum ſtatuta ponatur.

DE CLERICO EXCOMMUNICATO, DEPOSITO *e*, VEL INTERDICTO MINISTRANTE.

TITULUS XXVII.

CAP. I.

Clericus depoſitus celebrans, excommunicatur.

Ex canone Apoſtolorum.

SI quis Epiſcopus, Presbyter vel Diaconus depoſitus juſtè pro certis criminibus auſus fuerit attingere miniſterium ſibi dudum commiſſum, hic ab eccleſia abſcindatur.

CAP. II.

Degradatus vel ſuſpenſus celebrans, & monitus non deſiſtens, excommunicatur: & ſi nec ſic deſiſtat, per ſecularem poteſtatem ad requiſitionem eccleſiæ exilio damnatur.

Ex concilio Antiochen.

SI quis *f* Presbyter aut alius clericus fuerit degradatus, aut ab officio pro certis criminibus ſuſpenſus, & ipſe per contemptum & ſuperbiam aliquid in miniſterio ſibi interdicto agere præſumpſerit, & poſt ea ab Epiſcopo ſuo correptus, in incœpta præſump-

a *In Cod. Barb. & altero manuſc. Vaticana ita: De clerico maledicto.* b *Ca.un.eod.tit.de cleric.maled.in 2.comp.* c [illegible] *Bernard. Diaz. in pract. crim. c.103.* [illegible] d *Al. ſeptem præcedentib. ſex feriis vel ſubſequentib.* [illegible] e *Dictio, depoſito, deeſt in aliquot antiq.* f *Cap.* [illegible] *1.comp.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN